

difficultatem, prius, quam nunc, ad finem perducere non potuit. Etsi vero per Dei gratiam, in Belgio Reformato, tot adhuc supersint orthodoxæ tenaces Pastores & Doctores, & tot jam modo eorum judicia & examina orthodoxa libri Wolzogiani in lucem prodierint, ut, absque hoc meo libro orthodoxia ibi conservari possit; utile tamen consultum & laude dignum est, quando alicubi errores, suffragantibus vanis Theologis, & adjuvantibus Politicis, superbè, in præjudicium & contemptum orthodoxæ veritatis; se efferunt, omnes, pro ratione vocationis & donorum suorum, ad veritatis laborantis defensionem, concurrere, & à pluribus viris doctis, plures, de iisdem quæstionibus & controversiis, diversis locis ac temporibus, diversis aut diversimode institutis argumentis, ordine ac stylo libros scribi aut publicari, ut lectores ipsi variè affecti delectum habere possint, aut collatis consentientibus in re. sed differentibus in modo tractandi, plurimorum orthodoxorum libris & judiciis, tantò evidentius ac certius veritatem videant tantoque firmiter teneant. Egerunt illi fratres eandem causam mecum suo; ego eandem cum illis, meo modo. Invenias apud illos, quæ non sunt apud me: invenias apud me, quæ non sunt apud illos. Omnium ego, quos vidi & legi, pro communi causa, libros probo ac laudo, nec quisquam illorum, ut confido, hunc meum improbabat aut vituperabat. Dispersi illum in *tres partes*. *Prima* continet sanam & orthodoxam doctrinam de Interpretatione Scripturæ, quam aliquantò fufius & accuratius explicui, quam ab aliis factum vidi. Hanc nemo cæterorum fratrum ex professo tractandam suscepit, sed quisque, ut notam, præsupposuit. *Alter* pars continet præcipuas & notabiles Wolzogii ab Orthodoxa hac doctrina exorbitationes, propriis ipsius verbis propositas, examinatas & refutatas. Ubi ex professo principale caput doctrinæ orthodoxæ, de principe norma interpretandi Scripturam, contra Wolzogium asserui, & novam fallamque doctrinam, ab Exercitatore Paradoxo suggestam, directe oppugnavi multisque argumentis perspicuè propositis ostendi, quod non Usus loquendi, ut putat Wolzogius, sed Analogia Fidei, seu Regula Fidei & morum, ut Orthodoxi omnes sentiunt, sit princeps Scripturam rectè interpretandi norma. Quod itidem à nullo aliorum fratrum ita factum vidi. *Tertia* pars libri alia quædam vitia, præter errores istos, in libro Wolzogii notabilia ordine demonstrat. Ex hisce omnibus tandem confectaria quædam elicio & adjicio, ad rectè, de studiis partium & machinationibus Satanz, in ejusmodi controversiis, judicandū,

):(): (

&